1572a

1 190.

Viro Excellentissimo, clarissimoque
THEOPH. SIGEFRIDO BAYERO
Antiquitatum et Rei Numismaticæ Professori
Celeberrimo
S. P. D.
Io. Gottlieb. Krause.

1684

Literæ Tuæ acceptissimum mihi nuncium de auctis fortunis Tuis atque indies majora promittentibus attulerunt: quod quanta me affecerit voluptate, facile conjicies, si modo prolixissimam voluntatem in te meam adhuc satis perspectam habuisti. Perge, Bayere doctissime, perge amplissimæ eruditionis Tuæ thesauros explicare, præsertim in augustissimo theatro Constitutus, quod dudum omnium eruditorum oculos in se convertit. Nos interim, quanquam e longinquo, spectatores præclara facta Tua utroque pollice probabimus, illudque, Plaudite, plaudite, identidem exclamabimus

190.

De libris linguisque Asiaticis, quæ inveneris
huc usque incognita scire percupio, atque avide
expecto. Brevi enim futurum confido ut
nihil nos earum rerum lateat, Te Duce atque
indice, quæ huc usque frustra optavimus. Quid
enim Tuam industriam miramque sagacitatem
illam effugere possit. Vale, Vir Excellentissime,
meque Tuæ ex sententia gere, nos autem,
si meremur, ama. Dab. Lipsiæ d. 23
Octob. 1726.

Illustri Blumentrostio, si opportunitas fert, me
meaque de meliori nota commendabis, qui nihil
magis in votis habeo, quam ut Illustrissimæ
Academiæ Petropolitanæ laudes, mea opera,
in omnium ore ferantur. Clariss. conditissi-
moque Goldbachio salutem plurimam meo no-
mine dices, veterisque amicitiæ, qua me
immerentem hiet, quondam dignatus est, memo-
riam subinde refricabis. Iterum vale.

Involucra ut Dn. Müller, qui cum Dn. Prof. Koh-
lio Petropolin venit, reddi cures, rogo.